



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis X. Ad Februarii secundum Casum. Argumentum. Discutitur, an matrona jejuna, possit hora vesperarum ex devotione communicari? Ostenditur, olim fuisse plures species Communionis in Ecclesia: ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

Romani De Communionem, ea est praebenda in Missa, statim post communionem celebrantis; ne fideles priventur illis precibus, quas post Communionem Ecclesia recitari jubet, spectantes tum ad Sacerdotem, tum ad alios fideles, qui facram Eucharistiam ibi sumperunt; ut observat Emin. Cardin. Brancatius in *disserat. de Sacro Viatico* p. 157. Summa Diana Verb. Communio n. 71. & Hierolex. Macri in Verb. Communio in princ. subdens, quod idcirco in Sabbato Sancto non recitatur in Sacrificio Postcommunio, ea namque die non distribuitur Eucharistia. Sed de hoc in Prudentiali Casu sequentis Mensis Aprilis.

Respectu postea administrantis non est prohibitio; quia si celebrans est Sacerdos Regularis, huic licita est Eucharistia administratio vigore privilegiorum. Portell. p. 3. cas. 39. Diana Coordinatus tom. 4. tr. 2. resol. 44. desumpta ex part. 4. tract. 4. res. 14. ac etiam Bordon. d. part. 3. resol. 144. n. 16. 17. & 18. ubi plurimos DD. allegat sic docentes; licet enim antiquitus Regulares communicare non possent Laicos absque Parochorum licentia, sub excommunicationis poena, per Clement. Religios. De priv. Miranda in *Manual. Prælator. qu. 42. art. 1.* Nihilominus ex subsecquentium privilegiorum concessione dicta facultas fuit Regularibus impertita, excepto die Paschatis, & Viatico. P. Augustin. à Virgine Maria de privileg. Religios. Verb. Eucharistia. Bordon. d. res. 144. n. 18. Bissus in Hierurg. tom. 2. Verb. Missa n. 211. §. 16. Tonell. in S. Enchirid. lib. 1. cap. 2. §. 2. n. 14. Gobat. de Eucharist. tract. 5. num. 368. Quartus in Rubr. Missal. part. 3. tit. 10. num. 1. dub. 9. Et Emin. Card. de Lauræa de Eucharist. disp. 24. num. 77. Quod si celebrans sit Sacerdos secularis, etsi stricto iure non possit dispensare Sanctissimam Eucharistiam fidelibus, nisi sint sibi subditi, & habeat in eos jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, Emin. Cardin. de Lugo de Sacrament. Eucharist. disp. 18. n. 36. Pignatell. d. tom. 6. conf. 98. n. 86. & Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 7. n. 3. Tamen ex universali Ecclesiae consuetudine, & ex communi placito Doctorem, quilibet Sacerdos, præcipue dum celebrat, potest communicare fideles ex tacita licentia Episcoporum, & Parochorum; ac eorumdem interpretativa voluntate; quæ in administranda SS. Eucharistia sufficit, excepto (ut diximus) Paschali, ac mortis tempore. Eminentiss. Cardin. de Lugo dict. disp. 18. num. 37. & de Lauræa dict. disp. 24. num. 78. hanc rationem allegantes, scilicet, quia in omnibus, quæ cadunt in commodum, & beneficium Domini, ac Superioris, potest quis uti ejus voluntate interpretativa, nisi aliàs constet, Dominum esse invitum. At cadit in commodum Episcopi, & Parochorum, quorum interest, fidelis populi devotionem fovere, & sacra Eucharistia pabulo nutrir; si Eucharistia debita cum reverentia pie poscentibus dispensetur. Ergo Simplex Sacerdos licite illam dispensat ex interpretativo consensu Superiorum; & ita concedunt Barbof. in collect. DD. ad Concil. Trident. d. sess. 22. de Sacrif. Miss. cap. 6. Bonacina de Sacrament. Euchar. tom. 1. disp. 4. qu. 5. puncti. 1. num. 7. Candidus disquisit. 47. art. 2. n. 4. Bordon. Var. resolut. part. 1. resolut. 20. num. 26. Gavant. in Rubric. Missal. part. 2. tit. 10. num. 6. Quartus ibid. par. 2. tit. 10. sect. 3. dub. & difficult. prima in fine. Navar. in Man. cap. 21. n. 52. Mastrius in Theolog. Moral. disp. 18. n. 72. Bissus in Hierurg. Verb. Eucharistia num. 174. §. 2. tom. 1. pag. 405. & in puncto tenuit Beja part. 4. casu 14. ubi præter supradictas rationes, ulterius consideravit; quod cum Ecclesia reservaverit Parochis communionem suorum Parochianorum tempore Paschali, & causa Viatici tempore mortis; sequitur, aliis temporibus administrationem Eucharistiae non esse Parochis reservatam; siquidem inclusio unius est exclusio alterius. Cap. Nonne de Presumpt. l. Cum Prætor. ff. de Judic. Barbof. Axiom. 120. Et ulterius S. Trident. Concil. in sess. 13. cap. 8. agens de Eucharistia dixit, Ministros hujus Sacramenti, quo ad usum, & sumptionem fidelium esse Sacerdotes celebrantes; non autem dixit esse Parochos tantum.

Tandem; licitam esse in Oratorio privato supradictam Dominici Corporis, dum Missa celebratur, dispensationem, probat Decretum S. Congregationis Concilii die 11. Februarii 1679. De quotidiana Communionem (infra relatum sub Casu Prudentiali) in quo S. Congregatio jubet, doceri, Sanctissimam Eucharistiam esse sumendam vel in Ecclesiis, vel in Oratoriis privatis, concessis ex Pontificia dispensatione ad celebrandum; non autem esse deferendam secreto in crumena argentea ad domi existentes, vel lecto cubantes.

DECISIO IX.

Ad Februarii secundum Casum.

ARGUMENTUM.

Discutitur, an Matrona jejuna, possit hora Vesperarum ex devotione communicari; Ostenditur, olim fuisse plures species Communionis in Ecclesia, & declaratur, quæ, & qualis sit Communio Papalis? Episcopalis? Sacerdotalis? Diaconalis? Subdiaconalis? & aliorum Clericorum? Traditur quænam esset Communio Laicalis? Quæ Imperatorum, & Regum? Quænam Pueros, ac Peregrinorum, nec non Infirmorum, & Mortuorum? Inquirunt, quid essent Agapes Natalitiæ, & Funerales? Super prædictis omnibus, quidquid ex antiquis, & eruditis Scripturis haberi potest, pulchre, ac compendiose recensetur: & tandem resolvitur, Matronam prædictam posse communicari.

SUMMARIUM.

- 1 Communio vocis in primitiva Ecclesia multiplex significatio?
- 2 Communio Papalis quænam sit?
- 3 Papa sumit Sanguinem Domini à Calice cum fistula aurea.
- 4 Communio etiam sub specie vini die Pascha dabatur in Ecclesia Patavina viris, & mulieribus seculo tertio supra millesimum.
- 5 Communio Episcopalis quænam esset?
- 6 Forma consecrationis an possit à pluribus simul proferri?
- 7 Communio Sacerdotalis quæ dicatur?

- 8 Dominici Sacerdotes cur se communicent sinistra manu?
- 9 Communio Diaconorum, Subdiaconorum, & aliorum minorum Clericorum in quo situ Altaris fiebat?
- 10 Communio Laicorum qua? & ubi dabatur?
- 11 Communio, sub utraque specie, antiquitus dabatur omnibus fidelibus in Missa: sed extra Missam sub specie panis tantum.
- 12 Communio olim dabatur viris in manu, mulieribus in sudario.
- 13 Communio Laica triplex interpretatio.
- 14 Imperatorum, & Regum Communio sub utraque specie ex privilegio Pontificio.
- 15 Communio puerorum qua?
- 16 Peregrinorum Communio quam olim fuerit?
- 17 Communio infirmorum idem, ac Viaticum.
- 18 Communio mortuorum qua?
- 19 Communio Catechumenorum erat elargitio panis benedicti.
- 20 Eulogia quid essent?
- 21 Eulogiarum loco sunt benedictiones comestibilia, de quibus in Rituali Romano.
- 22 Agapes erant Convivia, quae inter Christianos habebantur.
- 23 Laici jejuni communicari possunt etiam post meridiem.
- 24 Consuetudo negativa non probatur ex contraria affirmativa.

SECUNDUS CASUS.

Matrona, quae professioni Monialium festo die adstitit, revertitur ad Ecclesiam Parochialem hora Vesperarum, & cum adhuc sit jejuna, petit Communionem. Queritur, an licet, & an sit exaudienda?

- 1 Occasione petita Communionis ab hac Matrona, pro intelligentia casus, eruditi quidam de Clero praemiscent, in Primitiva Ecclesia aequivo- cum fuisse nomen Communionis; alia enim Communio dicebatur respectu Mystici Corporis Christi, & erat commercium inter fideles; & alia dicebatur Communio Veri Corporis Christi; & erat distributio, & participatio Eucharistiae. Hæc Communio Consecrationis; illa Communio benedictionis, & orationis; utraque autem diversis nominibus nuncupabatur juxta diversos ritus, & ceremonias, quæ tunc erant in usu, ut observat Casalius de Veteribus Sacris Christianor. Ritib. cap. 21. Macer. in Hierolexic. Verb. Communio; & novissime Emin. Cardin. Bona Rerum liturgicar. lib. 2. cap. 19. n. 3.

Communio consecrationis, in qua dabatur verum Christi Corpus in Eucharistia, quia aliis, & aliis ritibus administrari solebat, ideo alia erat Papalis, alia Episcopalis, alia Sacerdotalis, & Diaconalis, alia Subdiaconalis, & minorum Ordinum, alia Laicalis, Vivorum scilicet, & Mulierum secularium; alia Imperatorum, & Regum, alia Puerorum; alia Peregrinorum, alia infirmorum, & tandem alia Defunctorum. Singula breviter explicantur.

- 2 Papalis Communio dicitur, quam facit Papa, dum solemniter Missam celebrat; ipse enim non recipit stando ad Altare, Sacrosanctum Corpus, & Sanguinem Christi, sed sedendo in Cathedra sub Throno (ut ego vidi in In coronatione utriusque Pontificis Clementis Noni anno 1667. &

Clementis Decimi anno 1670.) ad denotandum, quod sicut Salvator consecravit panem, & vinum in cenaculo; deinde in Calvario Sacrificium consumans, seipsum in conspectu totius populi Deo Patri obtulit; ita Papa, (qui est ejus Vicarius) consecrat super Altare, quod est cenaculi figura, ac in sublimi Throno Communionem sumit ad imitandum Christum in monte crucifixum; ut ex S. Bonaventura in exposit. Psal. 21. notat Macer in Hierolex. Verb. Communio col. 1. ubi allegat etiam Durand. lib. 4. de divin. offic. cap. 54. do- centem sic communicare Papam, quia cum sit superior omnium viventium in Ecclesia militanti, perfectius, & sublimius repræsentat ipsum Christum, qui est caput totius Ecclesiae. Et Innocent. III. de Myster. Missæ lib. 4. cap. 9. scriben- tem, quod Romanus Pontifex ideo non communi- cat, ubi frangit; sed ad Altare frangit, & ad sedem communicat; quia Christus in Emaus coram duobus discipulis fregit, & in Hierusalem coram Apostolis manducavit. Sumit autem Papa Sanguinem Domini de calice cum calamo, seu fistula aurea, quæ appellabatur Siphon, ut ex Anastasio Bibliothecario Davantria, Lindaro, & Angelo Rocca in tractatu de Communionem Summi Pontificis, demonstrat Macer in Hierolex. Verb. Siphon, adver- tens, quod antiquitus omnes fideles cum Siphone exforbeant Sanguinem Domini, ad evitandam effusionem; ideoque in Monasterio Montis Ca- sini ostenditur antiqua fistula, qua utebantur Ab- bates ad sugendum Dominicum Sanguinem; & in antiquis Carthusianorum Statutis de ea sub his verbis fit mentio: Ornamenta aurea, vel argen- tea; præter Calicem, & calamum, quo Sanguis Do- mini sumitur in Ecclesia non habemus, in libro ve- teri hujus Ecclesie Patavinæ, De ordine Divino- rum Officiorum. In die Paschæ, post Missam so- lemne Episcopi pag. 100. sic legitur: Ite Mis- sa est Alleluja: Et tunc ille, qui ministravit Epi- scopo, confert Corpus Christi Viris, & Mulieribus, & Diaconus in sinistra parte Altaris tenens Calicem cum Sanguine Christi, confert omnibus sumere vo- lentibus cum quadam Vitrea Virga. Liber prædi- ctus ex conjecturis fuit scriptus sæculo secundo su- pra millesimum. Porro in die ferie quintæ in Cæna Domini Papa communicat seipsum super Altare sine Ministris, & non cum calamo, sed cum Calice sumit Sanguinem Domini, ad imitan- dam Christi humilitatem. Macer, d. Verb. Si- phon.

Episcopalis Communio dicebatur, quam faciebat Episcopus solemniter celebrans pluribus Sacerdo- tibus sibi adstantibus, & concelebrantibus, de quibus Emin. Card. Bona Rerum liturgic. d. lib. 2. cap. 17. num. 4. & ex Innocent. lib. 3. de Myster. Missæ cap. 19. atque lib. 4. cap. 25. refert Diana part. 8. tract. 1. ref. 44. posita in Coordinato tom. 3. tract. 1. ref. 48. §. 5. & in eodem Diana Coordinato tom. 4. tract. 8. ref. 91. n. 4. desumpta ex part. 12. tract. 1. resol. 91. quibus in locis dis- quirat, quid sentiendum, si unus ex Sacerdotibus concelebrantibus proferret formam consecrationis priusquam ab Episcopo celebrante ipsa forma enunciaretur? Quam dubitationem trahunt Mo- ralisti ad Neomystas, id est Sacerdotes noviter or- dinatos, qui cum Episcopo ordinante concele- brant etiam nostris temporibus circa quos plura agunt Marchin. de Sacram. Ordin. tract. 2. part. 8. cap. 10. n. 11. Emin. Card. de Lugo de Eucharist. disp. 11.

disp. 11. fcl. 8. per totam, & Diana par. 12. tract. 1. resol. 89. 90. & 91. quæ reperiuntur collocate in Coordinato tom. 4. tract. 8. ref. pariter. 89. 90. & 91. Sed de hac infra in Primo Quæsito mensis Aprilis.

7 *Sacerdotalis Communio* est illa, quam Sacerdos stans sumit in medio Altaris, ad differentiam aliorum communicantium, qui genuflexi recipiunt Sacrosanctum Christi Corpus, excepto Diacono in celebratione solemni Pontificis Romani, à quo stans communicatur, Emin. Card. Bona d. lib. 2. cap. 17. in fine. & exceptis communicantibus ritu Græco, quæ stantes prono capite, & demissis oculis Eucharistiam percipiunt, ut ex S. Cyrillo *Cateshes.* 5. & S. Chrysostomo *Orat. in Eucania*, probat idem Emin. Cardin. Bona l.c. Nec omittendum, quod omnes Sacerdotes se communicant dextera manu, præter Dominicanos, qui d. sinistra sumunt Sacrum Christi Corpus, non quidem in pœnam Hostiæ veneno mixtæ, per Fratrem Bernardum à Monte Pefulano Henrico VII. Imperatori traditæ, ut invidi calumniatores scripsere; sed ad magis custodiendum calicem manu dextera, ne versetur, ut notat Macer in *Hierolex.* verb. *Communio* col. 2. vel, ut significetur eorum promptitudo ad pugnam contra Hæreticos, & ad vibrandum, dextera non impedita, contra peccatores ensem Sermonis Dei, qui est *efficax*, & *penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hebr. 4. 12.

9 *Diaconalis, Subdiaconalis, & aliorum Clericorum* minoribus Ordinibus insignitorum, *Communio* nuncupatur, quam hi omnes faciebant in limine Sanctuarii, sive in Choro, & intra cancellos statim post Communionem celebrantis. Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 15. ad differentiam Laicorum, qui extra Chorum Eucharistiam sumebant, ut Concil. Tollet. 4. cap. 17. & ex *Bracarense* 1. cap. 31. demonstrat Emin. Card. Bona d. lib. 2. cap. 17. num. 8. ubi refert, à S. Ambrosio expulsum à Sanctuario fuisse Theodosium Imperatorem, qui consueverat illud Constantinopoli ingredi, eâ monitione, quod Purpura faciebat Imperatorem, non Sacerdotem; & confirmatur in cap. *Sacerdotum de consecr. dist. 2. & in cap. 1. De Vita & honest. clericor.* & aliis Conciliorum Decretis, allegatis per eundem Emin. Card. Bona lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 9. à quibus prohibitus erat Laicis ingressus in Sanctuarium, Itaque omnes Ministri Ecclesiastici Communionem recipiebant in Missa solemni per manum celebrantis, qui mos adhuc servatur Romæ in insignioribus Basilicis. Eminentiss. Cardin. Bona d. lib. 2. cap. 17. in fine.

10 *Laicalis Communio* erat illa virorum, ac mulierum secularium; non quidem in sola specie Panis consistens; sed quæ fiebat extra cancellos Altaris, tum sub utraque specie Corporis, & Sanguinis Domini, quando fideles adstant Sacrificio Missæ, quod & hodie ferè omnes Orientales, & Ecclesia Græca observat. Pignatell. tom. 6. consil. 41. num. 41. tum sub unica tantum specie panis, quando extra Missam erant communicandi, ut eruditè probat Casalius de *Veter. Sacris Christian.* Ritib. cap. 19. per totum, & Eminentiss. Cardin. Bona *Rer. Liturgicar. dist. lib. 2. cap. 18.* id docens ex SS. Patrum, & Conciliorum auctoritate; & demonstrans, fuisse in usu Communionem Laicalem fidelium sub utraque specie à primordiis Ecclesiæ usque ad sæculum duodecimum, ut infra ostendemus mense Martio in Casu secundo.

Doct. Clericali Tom. I. Lib. II.

Cæterum consuetudinem Communionis Laicæ, sub una tantum specie panis, servabant primitivi Christiani, dum extra Missam eam recipiebant, quam etiam ad propriam domum asportabant, ut illam ad libitum sumerent, præcipuè fervescens persecutionibus. Emin. Card. Baron, ann. 57. Pignatell. d. tom. 6. consil. 41. num. 43. Siquidem communicare sub unica tantum specie, nihil derogat perfectioni Sacramenti, ut docet S. Thom. 3. part. quæst. 80. art. 12. & conformat Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. feriens anathemate illos, qui dicerent, ex Dei præcepto, vel ex necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles, utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; salva tamen potestate Summi Pontificis concedendi usum calicis alicui vel nationi, vel regno, juxta suam singularem prudentiam, ut in *Decreto super petitione concessionis Calicis* sess. 22. in fine. Denique non ignorandum; quod antiquitus viris communicantibus dabatur Eucharistia in manibus, ut sibi ori apponerent; mulieribus autem non in manibus, sed in nitido sudario, quod ipsæ exhibebant, ponebatur. Pignatell. d. tom. 6. consil. 41. n. 42. Macer in *Hierolex.* verb. *Dominicale.* Cardin. Baron, anno 590. num. 38. & Mabillon. de *Liturgia Gallicana* lib. 1. cap. 5. num. 25. Sanguinis verò sumptio aliquando per traditionem calicis, aliquando cum cochleari, & aliquando cum fistula fiebat, ut plenè deducunt Casalius ubi supra cap. 14. Eminen. Cardin. Bona d. lib. 2. cap. 17. sub. n. 3. ex pluribus SS. Patrum auctoritatibus; & Macer in *Hierolex.* verb. *Forceps* & verbo *Sumptorium*.

Ex his desumi potest intellectus antiquorum Canonum loquentium de Communione Laica, ad quam condemnabantur Clerici delinquentes; ut habetur in cap. *Si qui Presbyteri* 1. quæst. 7. can. 5. dist. 84. can. *Eos, quos de consecr. dist. 4. & in cap. 2. Conc. Sardicen.* nec non cap. 18. *Conc. Illiberitani.* Est enim triplex opinio Doctorum; Una, quod Laica Communio esset receptio Eucharistiæ sub specie panis tantum. Altera, quod laicè communicare consisteret in recipienda Eucharistia etiam sub utraque specie in Missa, sed non intra Sanctuarium, seu in choro cum cæteris Clericis, at extra cancellos Altaris in pœnam, ubi Laici communicabant. Tertia, quod Laica Communio, quæ Clericis delinquentibus, & penitentibus concedebatur esset sola participatio orationum, & associatio in Ecclesia cum Laicis; non autem perceptio Eucharistiæ, quæ, ob summum disciplinæ rigorem, denegabatur antiquitus etiam in articulo mortis, cap. *Si quis Episcopum* 2. quæst. 3. scilicet iis, qui deliquerant graviter, & præcipuè *machia, idololatria, aut homicidio*, etiam si penitentiam egissent. Casal. de *Veter. Sacris Christian.* Ritib. in *Notabilib.* pag. 406. Macer in *Hierolex.* Verb. *Communio Laica* & Emin. Card. Bona d. lib. 2. cap. 18. num. 3. & 4. Notent Parochi argumentum ad ostendendam populis gravitatem homicidiorum, & adulteriorum, quæ his temporibus sunt frequentia.

Imperatorum, & Regum Communio ita vocatur ob privilegium communicandi sub utraque specie, post prædictam calicis prohibitionem, nonnullis Regibus, & Imperatoribus per Summos Pontifices concessum; videlicet Imperatoribus Constantinopolitanis, teste Curopalata cap. 17. n. 44. in ipsorum coronatione Christianissimo Galliarum Regi,

D

qu

qui Communionem recipit sub utraque specie, quando consecratur cum Sacra Ampulla, & in extremo ejus vitæ per Viaticum ex privilegio Clementis VI. quod illud concessit etiam Federico III. Imperatori, Odoni Duci Burgundiæ anno 1345. ut refert Casalius de Veter. Sac. Christ. Ritib. cap. 1. in fine Macer in Hierol. d. verb. Communio col. 3. Diana d. par. 8. tract. 1. ref. 24. §. 11. repolita in Coordinato tom. 3. tract. 1. ref. 49. nec non in part. 12. tract. 3. & Miscell. 4. resol. 3. quæ reperitur in Coordinato d. tom. 3. tract. 1. ref. 102. §. 4. & ibi Callotius de Hierarch. Eccles. lib. 5. cap. 17. §. 2.

15 Puerorum Communio dicebatur, quia in primitiva Ecclesia Eucharistia præbatur etiam pueris, Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 4. num. 2. non solum grandioribus, & devotam indolem præferentibus, (ut de se testatur Nicephorus Callixtus lib. 17. cap. 25. & Gregor. Turonen. lib. 1. de gloria Martyr. cap. 10. ubi narrat historiam filii, quem pater Judæus projecit in ardentem fornacem, eò quia mixtus cum aliis pueris Christianis Eucharistiam in Ecclesia perceperat,) sed etiam ipsismet infantibus statim post Baptismum sub specie vini; ut fuse demonstrant Macer in Hierolex. verb. Baptismus, col. 2. Casalius de Veterib. Sac. Christ. Ritib. capit. 5. vers. post Baptismum, pag. 48. & Enim. Card. Bona d. lib. 2. cap. 18 & 19. n. 1. & 2. subdens, quod etiam nunc Græci more antiquo dant infantibus Eucharistiam sub sola specie vini, cochlear sanguine intinctum ori ipsorum inferentes, ut lambant, quibus postea matres, vel nutrices, ubera præbent, ut sanguinem simul cum lacte deglutiant.

16 Peregrinorum Communio quamnam fuerit? sudant tum Canonistæ, tum antiquitatum studiosi in explicando: quandoquidem cum hæc Clericis delinquentibus imponeretur in pœnam; ut habetur in cap. Contumaces dist. 50. Et in Concil. Agaten. can. 5. Ilerden. can. 16. nec non in can. 3. Synodi Rejenfis plures plura dixere; nempe quod erat obligatio ad peregrinandum, sæpe enim qui gravi piacula committerant, peregrinationes pro pœnitentia assumebant, ut passim legitur in actis Sanctorum, & præcipue de S. Guilielmo Duce Aquitanie apud Ribadeneiram tom. 2. die 10. Februarii, & de S. Gerlaco apud Hier. à Basilica Petri die 5. Januarii. Vel quod Peregrina dicebatur communio, quia hi communicabantur tantummodo in fine vitæ, tanquam ad alium mundum peregrinaturi. Vel quod inter Laicos, & non amplius inter Clericos permanebant in Ecclesia, quasi peregrini, hospites, & advenæ; non autem cives Sanctorum, & domestici Dei. Vel quod cogeantur communicare ultimo loco una cum Clericis peregrinis, quibus non erat concessum Missam celebrare, sicut teras dimissoriales, aut testimoniales, quas tunc Formatas nuncupabant, non exhibebant. Vel tandem quod peracta pœnitentia reciperentur quidem ad Communionem laicam, sed carerent ministerio Ordinum, ad instar Romanorum, qui prius deportati, & extorres, & quæ juris civilis erant, amittebant; retinentes, quæ juris sunt gentium, l. 1. §. 2. & 4. ff. de leg. 3. & l. 7. ff. de Penis; & restituti in urbem dicebantur Peregrini, ut scribit Sueton. in Claudi cap. 16. ac pluribus auctoribus citatis ostendit Eminent. Card. Bona d. lib. 2. cap. 19. num. 5. & 6. cui ad stipulatur Casalius de Veter. Sac. Christ. Ritib. cap. 21. vers. Communio Peregrina. Macer in Hierolex. eod. verb. & agit Eminent. Cardin. Baronius Anno 400. num. 67. & 68. & in eod.

Spondan. num. 11. qui videntur sentire, nihil aliud fuisse Peregrinam Communionem, quam solam participationem orationum cum fidelibus: aut potius subtracæ administratione reddituum Ecclesiasticorum, solam communicationem elemosynarum. Cabasutius in Notitia Concilior. ad Concil. Agathen. pag. 264.

Infirmorum Communio illa erat, quæ in discrimine vitæ versantibus tradebatur, & dicebatur Viaticum, Ephodion, & Benedictio Bestica, ut explicat Macer in dd. verbis, & Casalius d. cap. 21. vers. Viaticum circa quam Communionem advertere licet, quod olim infirmis deglutire Sacram Hostiam non valentibus dabatur Sanguinis Christi sub specie vini cap. 15, qui pœnitentiam. 26. q. 6. Quod an hisce temporibus fieri possit, disputabitur infra, in secundo Casu mensis Martii.

Mortuorum tandem erat Communio, quia mortui ab aliquibus communicabantur, & cum Eucharistia sepeliebantur. Casalius de Veter. Sac. Christ. Ritib. cap. 21. vers. Primis temporibus, præcipue si ab Ecclesia exclusi ob delictum, obiissent ante absolutionem; ut sic crederentur communioni Ecclesiæ restituti. Emin. Card. Bona d. lib. 2. cap. 8. sub. n. 6. & cap. 17. num. 6. ubi tamen nimia facilitate videtur dicere, etiam Sanctos Patres peculiari instinctu, vel consuetudine consuevisse mortuis Eucharistiam dare; motus duobus exemplis. Uno S. Benedicti relato à S. Gregorio lib. 2. Dialog. cap. 24. qui iussit Eucharistiam super pectore defuncti Monachi reponi, & sic sepeliri, ne terra defossus cadaver projiceret, sicut antea bis acciderat. Altero in vita S. Basilii apud Suringium tom. 1. ubi legitur, ante ejus obitum Sacram Hostiam in tres partes divisisse, unamque sumpsisse, alteram reservasse, ut secum sepeliretur, tertiam verò in columba aurea pendente reposuisse. Cæterum non est credendum quod Sancti Patres darent Eucharistiam mortuis, vel conspeliarent cum cadaveribus; quamvis aliqui idiotæ, vel superstitiosi homines id facerent, quod fuit ab Ecclesia prohibitum; Siquidem apud Macrum in Hierolex. verb. Communio col. 1. & verb. Viaticum col. 3. Latinus Latinus diligentissimus rerum Ecclesiasticarum observator docet, S. Basilium reservasse partem Hostiæ consecratæ, sumendam in extremo vitæ suæ spiritu; non autem ut super suo cadavere positam sepulture traderetur; & similiter notat, quod aliquando mortui dicebantur recipere Communionem, non per immisionem Eucharistiæ in os; sed per reconciliatoriam manuum impositionem super illos, qui pœnitentes quidem obierant, at nondum reconciliati, ut habetur in cap. Qui recedunt. 26. quest. 2. quæ reconciliatio post mortem dicebatur Mortuorum Communio. Et tale ego crederem fuisse factum S. Benedicti supra relatam, ut scilicet Monachus contumax reconciliaretur, imposita super ejus pectore Eucharistia, non autem ut Sacra Hostia cum illo in sepulcro poneretur; porrit enim reponi super pectore defuncti ad eum reconciliandum; deinde statim auferri; & ipsa Sacra Hostia ablata, cadaver sepeliri.

Quapropter hujusmodi Communio Mortuorum magis referenda est ad secundum genus, quod supra diximus Communionis spectans ad Mysticum Christi Corpus; cum enim quis ob gravem culpam privatus foret tum Sacramentorum perceptione, tum communi conversatione fidelium, & orationibus, si humilis

humilis pœnitentiam suscepisset, & egisset, per solemnem manuum impositionem recipiebatur ad communionem, idest ad confortium, & orationes fidelium etiam ante reconciliationem decessisset; siquidem gratæ erant oblationes, quæ à defuncti parentibus, ejus nomine dabantur; ut ex *can. 12. Concilii Arelatensis II.* demonstrat Casalius d. cap. 21. *vers. Primis temporibus, & vers. Viaticum*, & plene disserit Emin. Card. Bona d. lib. 2. cap. 8. num. 6.

Catechumenorum etiam referenda hic est, quæ olim dabatur iisdem, Communio: scilicet Panis benedictus, non tamen consecratus, de quo loquitur S. Augustin. lib. 2. de *Peccator merit. & remiss.* cap. 26. prout observant Cardin. Bellarm. lib. 2. de *Sacram. in genere* cap. 24. Card. Baronius anno 313. num. 65. Spondan. *ibid.* & Vasquez tom. 2. in 3. part. disput. 166. cap. 4. num. 52.

Fovebant autem antiqui Christiani mysticam communionem, & mutuam inter se confortium, præcipue per *Eulogias*, scilicet munuscula benedicta, quæ in signum Communionis Catholicæ, ad invicem accipiebant; deducta hac formula loquendi ab Hebræis, qui munus benedictionem appellabant, ut lib. 1. Reg. cap. 25. *Accipe benedictionem, quam attulit ancilla tua*; ubi in textu Hebræico est *BERACAH*; in Græco, *Eulogia*, quæ voces idem significant. Proprie autem *Eulogia* erant panes oblati à fidelibus ad Altare, qui supererant consecrationi, quos benedictos, non autem consecratos, in particulas dissectos in fine Missæ Sacerdotes distribuabant iis, qui ob aliquod impedimentum non poterant Sacramentum Eucharistiam sumere, Vasquez disput. 204. cap. 3. num. 22. Ciampinus de *Azymo* cap. 4. Classe 3. §. 3. & Mabillon, de *Liturg. Gall.* lib. 5. cap. 5. num. 26. Quamvis successu temporis, etiam communicatis illos dabant; ut pluribus textibus conciliaribus citatis, probat Emin. Card. Bona d. lib. 2. cap. 19. num. 7. Emin. Card. Baron. anno 313. num. 51. & seqq. P. Macedo in *disquisit. Theologica de Ritu Azymi & fermentati* c. 7. a pag. 88. & seqq. Hieronym. à Basilica Petri in *Vita S. Richmuri Abbatis* die 17. Januarii num. 9. & Macer in *Hierolexic. verb. Eulogia*, ubi hoc nomine quancumque oblationem, & munus vult esse intelligendum. Concordat Casal. *dict.* cap. 21. *vers. Communio per Eulogias*: addens quod à Matrice Ecclesiæ panis in missa benedictus per singulas Parochias mittebatur. Sed cum *Eulogia* in desertudinem ierint, prout etiam oblationes panis, & vini, successerunt oblationes denariorum, quæ adhuc sunt in Villis, & recipiuntur per Parochos in Missa à suis Parochianis; ad quorum solamen Ecclesiæ ordinavit benedictiones comestibilem, quæ habentur in Rituali Romano, & in Missali, de quibus multa congerit Gretserus lib. 2. de *Benedictionibus*, & novissime Quartus in eod. tractatu de *Benedictionibus* tit. 3. sect. 5. *Prælu.* 1. atque Layman lib. 4. tract. 6. cap. 7. qui num. 3. ostendit: *Eulogiarum* alias fuisse *Publicas*, quæ scilicet à Ministris Ecclesiæ uti talibus dispensabantur; & de his loquitur Ordo antiquus Ecclesiæ Patavinæ pag. 97. tergo & pag. 100. dum dicit, quod super Altare ponebatur panis benedicendus in Missa solemnī, & distribuendus populo, ultra Corpus Christi. Alias verò *Privatas*, quas amici inter se mit-

Doct. Clericali Tom. I. Lib. II.

tere solebant in signum amicitie; & allegat *Epist. 1. S. Paulini Nolani ad Severum*; & *Epist. 31. S. Augustini*, quas Lectores vidisse non pigebit.

Tandem antiquorum Christianorum reciproca charitas, & communicatio nutrebat per *Agapes*; idest Sacra Convivia, quæ post completam Missam, & Sanctissimam Eucharistiam receptam fiebant, primum in Ecclesiâ, deinde in privatis domibus. Macedo in *Disert. de Azymo* cap. 6. in *Pererigon. de Obl. ad Alt.* & in cap. 7. Menoch in *Alt. Apostol. lib. 1. cap. 11. num. 4.* Quæ erant triplicis generis, aliæ enim erant *Agapes connubiales*, occasione nuptiarum, & ad illas invitabatur Episcopus cum suis Clericis nec non affines, cognati sponforum, & alii plurimi; quem morem servari adhuc in Gallia Cispalpina narrat D. Dominicus Laghius Bononiensis in *suo Itinerario* anno 1670. ad S. Jacobum Compostellæ cap. 4. ubi ait, cum ingressus fuisset Delphinatum, in Parochiali Ecclesiâ Terræ Sufanæ, se interfuisse solemnī convivio in celebratione matrimonii habito à pluribus incolis illius terræ; cognatis, affinibus, & amicis sponforum, qui ejusdem Laghi Missam prius devotè audiverant. Deinde cum ad prandium secum coegerunt. Aliæ autem erant *Agapes natalitie*, dum in festivitibus Sanctorum Martyrum convivia fiebant in Ecclesiis. Aliæ *Agapes funerales* ob convivia populo exhibita in Exequiis defunctorum. De his Agapis habentur textus in c. 1. c. 3. & c. 5. dist. 42. & pluribus SS. Patrum allegatis Epistolis. De Agapis tractant Emin. Card. Baronius in *Annum* 57. ubi Spondan. in *Epitome* num. 39. Emin. Card. Bona d. tract. *Rer. Liturgicar.* lib. 1. cap. 1. num. 4. & Macer in *Hierolexic. verb. Agape*, ubi postquam notaverit prædicta Agapæa convivia fuisse à Sacris Conciliis sublata; obdeperditam primitivorum Christianorum veram simplicitatem, & introducta varia scandala, subdit, in Orientali Ecclesiâ usque ad præsens Agapes durare, quibus ipse interfuit in Monte Libano anno 1624 dum ibi pro Sanctæ Sedis Apostolicæ negotiis accessisset.

His de antiquitatibus pro ornamento decidendi Casus Collecti; pro ejus resolutione Parochi dixere, Matronam, petentem Communionem hora Vesperarum, licet petere; & cum sit jejuna, esse exaudiendam; atque Eucharistia sacra communicandam; omnes enim Moralistæ concorditer docent, nullam esse in Jure prohibitionem, vel restrictionem temporis circa Communionem Laicorum; & tantummodò observandum, ne suboriri possit scandalum, quod in præfenti casu cessat; cum, ex supposito, Matrona sit notæ pietatis, & ob impedimentum interessentiæ Mortalium festivitati non potuerit citius Communionem petere, nec obist contraria consuetudo; quæ non insurgit ex eo, quod solitum sit apud Parochos communicare Laicos ab auro usque ad meridiem tantum, quia esset probanda consuetudo negativa, idest non communicandi petentes post meridiem; juxta doctrinam Bart. in lib. 1. §. hoc. *interdicto* num. 8. ff. de *linere, actus, priv. & int.* 1. ubi etiam Bald. C. de *servitutib. & aqu.* quam canonizavit Rota coram Seravino *decis. 1102. num. 8.* coram Buraeto *decis. 572. num. 13.* & coram Bichio *decis. 322. num. 16.* Doctores autem concedentes, posse Communionem dari jejunis qualibet hora diei sunt Sylvest. *verb. Eucharistia* 3

D 2

quest.

quæst. 1. & eodem verb. Sâ. num. 19. Angelus num. 36. Tabienæ verb. Missa n. 6. Azor. 1. part. lib. 10. cap. 25. quæst. 7. Bonacina tom. 1. disp. 4. de Sacra. Euch. quæst. 7. punct. 1. num. 12. Quintanadven. in Append. ad Commun. general. Jubil. tract. 1. dub. 11. num. 3. Scortia de Sacrific. Missa lib. 4. cap. 29. num. 10. Colleg. Salmanticens. in Cursu Theolog. Moral. tom. 1. tract. 4. cap. 8. num. 39. Gobat. in Theol. Experim. tract. 4. num. 48. Bissus in Hierurgia Sacra verb. Eucharistia num. 174. §. 17. Volpi eod. verb. ref. 62. num. 8. & 9. Castropalaus part. 4. tit. 21. disp. unic. punct. 16. num. 3. Pax Jordan. tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 36. Cotonius lib. 2. contr. 4. cap. 8. num. 175. Tamburin. de Expedit. Commun. cap. 6. §. 1. num. 5. Diana part. 2. tract. 14. resol. 54. Item part. 9. tract. 7. ref. 43. & novissime p. 11. tract. 7. ref. 22. in qua confutat Pasqualigum docentem in Theolog. tom. 2. disput. 109. sect. 3. n. 17. exhibitionem Communionis, & celebrationem Missæ pari passu ambulare; & sicut non licet celebrare ante Auroram, & post Meridiem; ita neque debet esse licitum communicare, nam Diana negat paritatem, aliâs, inquit, sicut in die Natalis Domini licitum est ter celebrare, ita liceret ter Laicis communicare. Supracitata Dianæ resolutiones in opere coordinato jacent tom. 2. tract. 2. ref. 37. resol. 41. & resol. 47.

DECISIONIS. X.

Ad Februarii Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Agitur de quotidiana Communione, & examinatur, quomodo, quando, & cum quibus personis sit licita? quid esset in usu ab initio Ecclesiæ? quid medio tempore? aperitur. Religiosorum Ordinum institutiones; eorumdemque Fundatorum nomina, ac tempora; qui promoverunt frequentiam Eucharistiæ Communionis, referuntur. Contrariæ Theologorum opiniones circa frequentiam Communionis conciliantur. Decretum Sacræ Congregationis Concilii diei 12. Februarii 1679. circa quotidianam Communionem Laicorum ponitur, & perpenditur.

SUMMARIUM.

- 1 Quotidie omnes Christiani communicabant in Primitiva Ecclesiâ; & hoc usque ad initium quinti sæculi.
- 2 Communio quotidiana in Primitiva Ecclesiâ non erat de præcepto.
- 3 Communio ter in anno facta est de præcepto à S. Fabiano Papa.
- 4 Communio annua imperata est anno 1215. in Concil. Lateran.
- 5 Communionis frequentia omni tempore apud aliquos fideles conservata & instaurata à religiosis viris.
- 6 Ordinum Monasticorum, & aliorum Religiosorum origines.
- 7 Exempla animalium, à quibus venerata fuit Sacra Eucharistia.
- 8 Communio quotidiana expetita ex pluribus rationibus à 70. Sancio.

9 Non concessa ab aliis DD. ob plures cautiones.

10 Communionis frequentia qualiter concedenda ex DD. opinionibus.

11 Decretum S. Congregationis Concilii diei 12. Februarii 1679. circa quotidianam Laicorum Communionem.

CASUS PRUDENTIALIS.

Expectatur opinio prudentum Confessariorum circa quotidianam Laicorum Communionem.

Varii varia dixerunt; & eorum responsis sequentes conclusiones collegi pro casus resolutione.

Prima Conclusio: In Primitiva Ecclesiâ omnes Christiani quotidie communicabant; nam, ut habetur Act. 2. 42. Erant (fideles) perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Quod notat Casalius de Peter. Sacra. Christi. Ritib. c. 18. & Emin. Card. Bona. Rer. Liturgic. d. lib. 2. cap. 17. num. 2. scribens, quod quotidiana Communio à fidelibus Laicis usque ad initium quinti sæculi observabatur, immò alicubi qui plures Missas in die audiebant, pluries eadem die communicabant, teste Uvalfrido Strabone cap. 22. qui vivebat nono sæculo; idemque ab Alexandro Papa Secundo, qui vivebat Anno 1060. prohibitum fuit plus, quam semel in die recipere Communionem, cap. Sufficit § 3. de consecr. dist. 1. Sed an Communio quotidiana esset de præcepto in Primitiva Ecclesiâ? dubitat Diana par. 8. tract. 1. resol. 27. collocata in Coordinato tom. 3. tract. 1. resol. 52. ubi n. 4. quamvis, ait, videatur affirmandum ex Decreto S. Anacleti Papæ in can. Episcopus. de consecr. dist. 1. in can. Peracta. de consecr. dist. 2. ubi dicitur: Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesiâ. Nihilominus negativa cum Bellarmino lib. 2. de Miss. cap. 10. ad arg. 8. & Suarezio in 3. part. tom. 3. disp. 60. sect. 2. inclinatur, & supradicto Decreto respondet, esse intelligendum tantum de Clericis, qui ministrabant in Missa, Caballut. in Notitia Conciliorum ad Concil. Antiochenum Primum Anno. 341. vers. Quo ad priorem partem. Non autem de Laicis, quos oportebat præcipue conjugatos, ob tanti reverentiam Sacramenti, aliquando à Communionem abstinere cap. Omnis homo 21. de consecr. dist. 2.

Secunda Conclusio: Refrigescente charitate fidelium, plures cessare ceperunt, non solum à quotidiana, sed etiam à frequenti Communione adeo ut à S. Fabiano Papa, vivente in tertio sæculo, statutum fuerit, quod: Etsi non frequentius, saltem, in anno ter Laici homines communicent, in Paschate videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini. Ita legitur in cap. Etsi 16. de consecr. dist. 2. Et à Concilio Agathensi cap. 18. (celebrato Anno 506.) fuit definitum: Quod sæculares, qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur. cap. Sæculares 19. de consecr. dist. 12. Idem notat Caballutius in Notitia Conciliorum ad Concilium Agathense can. 18. Hujusmodi præceptum communicandi saltem ter in anno renovatum fuit in Concilio II. Turonensi, Anno 813. sub Leone Papa Tertio Baptaglin in Hist. Univ. Concil. dist. Anno 813. num. 2. Emin. Card. Bona. dist. lib. 2. cap. 17. num. 2. advertens, quod citius in Oriente, eorum, qui sacris mysteriis intererant, Communio defuit; nam S. Jo. Chryso-